Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXIII.

13. Septembris. Idibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45314

Visual Library

vicem rependit: nunc te ad ſpectanda Cœli gaudia, nunc ad caſtiſſimos amplexus trahens: à quibus ne æternùm abſtraherereris ultrà, eâ, quâ deſiderabas horâ ad feliciſſimam te patriam evocavit. *Quid miſeri mortales quærimus in ſordibus terrenis gaudia, id eſt, cur amplexamur ſtercora, & non potiùs toto mentis impetu cum Apoſtolo averſamur, ut in omnium gaudiorum fonte hîc & æternùm delectemur?*

S. BERNARDUS. ſer. 15. in Cant.

Electuarium habes, ô anima mea, reconditum in Vaſculo Vocabuli hujus, quod eſt Jeſus: ſalutiferum certè, quodque nulli unquam peſti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in ſinu ſit, ſemper in manu: quo tui omnes in Jeſum & ſenſus dirigantur & actus. Amor Jeſu.

13. *Septembris. Idibus.*

B. GUNTELINE: qui ob exoticas magni corporis vires, celebratus in tota paſſim Anglia pugil, ut acceptam hanc à natura dotem naturæ auctori conſecrares, voto te ad ſuſcipiendum iter Jeroſolimam obſtrinxiſti, contra Gentiles ſub vexillis Chriſtianis militaturus. *Floruit circa annum* 1160.

taturus.

taturus. De quo conſultus à te quidam S. Ordinis Ciſtercienſis Abbas ſuaſit, ut compendiariam magìs viam ad Jeruſalem ſupernam ſub ſignis Ciſtercii eligeres. Cui conſilio ſinè mora obſecutus, tyrocinium ingreſſus es. Sed & ibi militiam eſſe, indutus ſimiam infernalis hoſtis oſtendit; tam ſævis in te verberibus debacchatus, ut tridui ſpacio omni uſu ſenſuum orbatus fueris. Intereà ſpiritus in alterum raptus orbem, primùm duce Divo Benedicto Miſericordiæ Matrem, peſeverantiæ te in bene cœptis admonentem, inde Paradiſi hortos vidit: admiſſus eſt porrò ad inſpicienda ſupplicia ſceleratos æternùm cruciatura, aliáque id genus plura, quæ poſt tertium diem tibi redditus Abbati per ordinem recenſuiſti. Dictis fidem fecit, præter allata illinc arcana, ſtatim reſtitutus ope Divi Benedicti corpori vigor; ac tota deinceps vivendi ratio; quæ talis fuit, ut facilè conſtaret, ad quàm ſeria ſpectacula fueris admiſſus. *Relegam ego illud iter tuum oculis ſedulæ contemplationis: nec dubito quin, ſic ſæpiùs ſpectata inferorum tormenta, & è diametro oppoſita cœli felicitas optimas inanimum meum cogitationes ſit inductura.*

Votum mutat,

invidēte dæmone,

approbante Deiparâ.

Mira videt raptus.

B. PETRE, Monache Monaſterii Morero-

Morcrolenſis: qui ob ſimpliciſſimam quandam, & ab omni vitiorum contagione immunem vivendi rationem, quaſi cœlum non terram incolens, Petrus Dei appellatus, amori Divino proximos ſacræ charitatis ardores in Deiparentem adjunxiſti. Quæ tui cordis in eam propenſio te adeò totum rapiebat, ut Incruentum Sacrificium, quoties Obedientia permittebat, ejus honori litares. Non erat hæc tua gemina pietas hominibus ignota; ſed ne & merita ignorarent, poſt fata inter cœleſtes Paradiſi cives eo fulgore reſplendens apparuiſti, quæ omnium ſiderum lumina ſuperabat. *Eluxit ex illuſtribus illis gloriæ tuæ radÿs, quàm nemo fruſtrà veneretur Mariam: præſertim ſi non labÿs duntaxat, ſed & virtutum ejus imitatione colatur.*

Floruit anno 1142.

B.V. colit piè.

S. BERNARDUS, *ſer. 2. de Aquæ d.*

Quid nos alia concupiſcimus, fratres? Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus: quia quod quærit invenit, & fruſtrari non poteſt. Quæramus gratiam, ſed gratiam apud Deum: nam apud homines fallax. Quærant alÿ meritum, nos invenire gratiam ſtudeamus.

Gratia DEI rectè per Mariã quæritur.